



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Fasti Mariani**

**Brunner, Andreas**

**Antverpiæ, M.D.C XXX III.**

S. Gangvlphvs C. 11. Maii.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70962](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70962)

## S. GANGVLPHVS C. II. Maii.

**G**ANGVLPHO Dynasta Burgundo corporis, animi, quæque fortunæ propriè imputamus, bonis felicissimo, nihilominus cum malorum omnium extremo malâ uxore conflictandum fuit. Ea præter cæteram morum peruersitatem etiam fœdis amoribus indulgit, quos denique fons prodidit, & hoc & aliis prodigiis illustris. GANGVLPHO in Campaniâ prandenti simplicissima ad speciem quæstio excidit, quanti fontanam, cui assidebat, hospes æstimaret; sibi enim opido allubescere. hospes delirium interpretatus, pretium tamen statuit. GANGVLPHVS aquam, quanti indicata erat, emit, & se dat in viam; fons, inaudito miraculo, eum sequitur, & Varenis, ubi domicilium habebat, novo ortu erumpit, serio jam damnante mercimonium suum Campano. Ex hoc ergo fonte calculum levare GANGVLPHVS uxorem iussit, absoluturus eam, si id impunè fecisset. Accipit conditionem cum risu adultera; sed brachium velut ex Vulcani ollâ fœdè ustulatum retulit; nullo tamen, præter divortium, incommodo affecta, ad ingenium rediit, & denique adulterio parricidium conjunxit. Id ubi amator illius (prò pudor! Clericus erat) perpetratum ad prostibulum retulit, infelicem

licem animam cum alvo deiecit. GAN-  
GVLPHVM miracula Divis exaqua-  
runt; quæ cum adultera traduceret, in-  
fami per omnem vitam supplicio est  
exercita, quod prode verecundiores,  
quàm illa fuit, literæ erubescunt. *Ex Sur.*

S. PANCRATIVS M. 12. Maii.

**N**ON omnes serò sapere Phryges,  
PANCRATIVS ipse quoq; Phryx  
ostendet. Quatuordecim non amplius  
natus annos vitam quàm Christum  
maluit perdere, quæ quidem summa  
est sapientia. Principe familiâ, Cleo-  
nio patre ortus, eoq; mortuo, Diony-  
sio patruo in tutelam commendatus  
Romam cum eo commigravit, quo  
tempore Diocletianus, Christiani san-  
guinis gurges, totius Imperii viribus ad  
excindendam innocentiam abuteba-  
tur, commodum accidit, ut in eadem  
regione urbis Romanus Pontifex lati-  
taret, in quâ PANCRATIVS domici-  
lium collocarat, nimirum ut dignissimâ  
manu hoc lilium Numini consecraretur;  
cujus impulsu PANCRATIVS  
ultra cum patruo illis ab eo tingi aquis  
petiit, quibus omnes cæli flores rigantur.  
Voto potitus tam suavem pietatis  
halare odorẽ cœpit, ut venaticos Dio-  
cletiani canes, omnia Sanctorum vesti-  
gia odorantes, non potuerit latere.  
Raptus ad tribunal quâcumvis sangui-

R. s. naxios